

HALARICVS GOTHORVM REX.



**H**Alaricus ex Balthorum familia apud Gothos celeberrima originem habuit. Hunc Gothi tanquam uirum fortissimum, Anno Christi quadringentesimo septimo, Stilicone & Aureliano cōsulibus, primum sibi regem crearāt. Cum enim post fœdus cum Theodosio initum per uiginti quinque annos Romanis certo stipendio militassent, atque Stilico Vandalus genere effecisset, ut Gothi exauthorati stipendio priuarentur, quo incitati Romanis bellum inferrent, atque hac ratione Vandali populares commodius Galliam & Hispaniam occuparent: factum est ut Halaricus infestis copijs Pannoniam sit ingressus. Ibi sese Radagasus cum ducentis millibus Ostrogothis Visigothis coniunxit.